

enim majus aliquid est, puta unanimitas et consonantia, charitatisque vincula et sacerdotum orationes. » Certe etiam in v. t. sacra loca ad orandum et delegerunt et audierunt, ut imprimis templum Salomonis, de quo ipse in sua oratione ita precatur: *Tu exaudies in loco isto, etc. q. d. magis hic quam alibi.* 1. Macch. III. XLVI. dicit: *Venerunt in Masphat contra Jerusalem, quia locus orationis erat in Masphat ante in Israel, quia scilicet Samuel oratione sua consecrat Masphat,* 1. Reg. VII. In montem Moria, Abrahæ sacrificio sacratum, perrexit Rebecca, ut consuleret Dominum, Genes. XXV. in Hebron ire voluit Absalon velut voti reus, II. Reg. XV. Jo. IV. patriarch. morum. insign. Hebræi ter in anno ad templum vel tabernaculum peregrinabantur ex præcepto Deut. XVI. quod et ipse Dominus servavit. Quin et gentiles aliqui confluebant Jerosolymam, ut ibi adorarent, Jo. XII. et eunuchus Candacis reginæ, Act. VIII. de Christianis antiquis testimonia habemus plurima. Scimus, de S. Hel. quod religionis causa venerit Jerosolym. ex Euseb. lib. III. de vita Constant. et S. Ambr. orat. de obitu Theod. S. Hier. invitavit Romæ nobiles matronas, ut in terram sanctam peregrinarentur, et persuasit non paucis. Idem Rusticum ut votum eundi illuc persolvat, monet, ep. XLVI. necnon Desiderium, ep. LIV. in quo ait: *Certe adorasse ubi steterunt pedes Domini, pars fidei est:* et in ep. ad Marcellum asserit, homines, Deo devotos putare se minus religionis et scientiæ habere, si terram sanctam non viderent. S. Alexium commendat B. Virginio imago, qui relictis nuptiis peregrinus factus Edessam venit, ibique decem septem annos in vestibulo ædis B. V. transegit. Dixit enim ædis custodi: *Introducito servum Dei qui dignus est regno celorum.* Accedunt hæ rationes: nam primo, peregrinationes cedunt ad Dei honorem, et ss. cum eorum gratia et amore itinera suscipimus, et patrios lares deserimus, parentes, liberos, filios, alia sua commoda, opificia, negotiationes et lucra. Sicut enim ad honorem Salomonis fuit, quod regina Saba ad ejus aulam visendam et sapientiam audiendam venit: et sicut ad honorem medici facit, si ad eum passim ægri de longe veniant, ejus opem implorantes: ita ad honorem Dei et ss. cedit, si ad eorum ss. ædes et reliquias peregrinemur opem postulantes. Et sicut Antonius, v. g. glorificatus

fuit ex eo, quod e longinquo plurimi homines ad ipsum visendum abierint in desertum: ita procul dubio sanctis ad honorem cedit, si eorum ædes pie visitentur.

Secundo, sunt opera pœnitentiæ et satisfactionis, quia laborem et mortificationem continent. Imprimis in pedibus incedere, vili habitu se vestire, parum commode per viam tractari, humi vel in stramine cubare, cœlum, frigus aut pluvias sustinere, certe patientiam requirunt. Quare Democritus philosophus interrogatus, quid prodesse peregrinationes, respond. *Vitæ frugalitatem docent. Ossa quippè et thorus herbaeus, famis ac laboris dulcissimæ medela sunt,* Stob. ser. XXXVIII. Deinde gravibus olim peccatoribus pro pœnitentiæ longinquè vel etiam perpetuæ peregrinationes injunctæ, ut Conrado cuidam Germano sub Ladislao rege Hung. in vita S. Emerici, 4. nov.

Tertio, augent devotionem. Præsentia enim loci sancti valde celebris vel miraculosa, aut magni alicujus sancti, sanctum horrorem et devotionem incutunt non raro. Sæpe ibi corriguntur et compunguntur peccatores. Cujus exemplum refert Tursellinus, in hist. Lauret. l. V. c. ult. de quodam flagitioso homine, qui ædem Lauretanam impudenti fastu ingressurus, divinitus repulsus est, unde adiens confessarium, quid sibi contigisset, recensuit et confiteri cœpit: sed quia impie meditatus nec integre confitebatur, dimissus a confessario, ut præmeditatus rediret, cum hoc consilium sperneret, iterumque ædem intrare vellet, iterum repellitur. Quare compunctus redit cum lacrymis ad confessarium, et ex integro confitetur: tum nullo labore ad ædem admissus est. Bene ergo S. Chrys. ait ho. LXVI. ad pop. *Faturi judicii vestigia et signa sanctorum ædes exhibent, ubi demones flagellantur, corriguntur homines et liberantur.*

Vidimus auditores, orandi magistram, mulierem Chananæam; mulierem inquam gentilem, non christianam, quæ tamen, ubi audita est, beneficio orationis suæ Christiana effecta est: neque dubium est, quin ab eo tempore vitam instituerit christiano nomine dignam. Et hoc unde obtinuit nisi per orationem, omnibus numeris constantem? Eam igitur orandi rationem et nos imitemur; sic etiam fiet ut bene et pie vivamus; quia non temere dixit S. Aug. hom. IV. et L. *Recte novit vivere, qui recte novit orare*

IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI.

EVANGELIUM. MARCI ULT.

In illo tempore, recumbentibus undecim discipulis apparuit illis Jesus, et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis: *Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Qui vero non crediderit condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, et bene habebunt. Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooparente, et sermonem confirmante sequentibus signis.*

CONCIONES.

- I. *Christus ascendens aquilæ comparatur.*
- II. *Triumphus ascendentis Christi.*
- III. *Causæ ascensionis Christi.*
- IV. *Circumstantiæ ascensionis reliquæ.*
- V. *Cur in die ascensionis Christi fiat mentio judicii.*
- VI. *Quomodo Christum prosequi et comitari in cœlum quisque debeat.*
- VII. *Via et ratio ad cœlos ascendendi post Christum.*
- VIII. *Quid rependendum Christo pro beneficiis.*
- IX. *Miracula credentium quomodo spiritualiter edenda.*

- X. *Documenta.*
- XI. *Mysteria.*

CONCIONES AUCTARII.

- I. *Gaudendum nobis de ascensione Christi.*
- II. *Desiderium ascendendi in cœlum excitatur.*
- III. *Cur ascensio Christi dicatur admirabilis.*
- IV. *Quatuor viæ in cœlum ex monte Oliveti.*
- V. *Tribus miraculis continuis cur in monte Oliveti illustrare Christus voluerit ascensionem suam.*

CONCIO I.

CHRISTUS ASCENDENS AQUILÆ COMPARATUR.

- I. *Ob admirabilem ascensionem.* — II. *Ob amorem erga discipulos.* — III. *Ob sollicitudinem de suis.* — IV. *Ob providentiam erga suos.* — V. *Ob justitiam in nos.* — VI. *Ob liberalitatem.*

THEMA.

Assumptus est in cœlum et sedet a dextris Dei.
Marc. ult.

Ezech. XVII. præcepit Deus Ezechieli, ut domui Israel proponeret hoc ænigma: *Aquila grandis magnarum alarum, longis membrorum ductu, plena plumis et varietate, venit ad Libanum, et tulit medullam cedri.* Ad litteram significabat hoc ænigma, venturum Nabuchodonosorem regem Babylonis potentia et opibus maximum, cum magno exercitu in Jerusalem, et inde ablaturum præcipua ac pretiosa quæque. Sed quoniam unius

Scripturæ sacræ non unus tantum est sensus a Spiritu sancto intentus, et idem ænigma pluribus modis solvi potest, possumus nos aliter solvere hoc ænigma sensu allegorico. Dicimus enim Christum esse hanc aquilam, qui in die ascensionis suæ, magnis potentiæ alis, magno sanctorum patrum (veluti membrorum suorum) ductu et exercitu, plenus decore et gloria tam corpore quam animæ, venit ad Libanum cœli, et ibi accepit medullam cedri, id est, supremam gloriæ sedem, utpotè a dextris Dei. Quod non male exposuerim hoc ænigma, testem advoco Sanctum Gregorium, qui hom. IV. in Ezechielem asserit, quatuor illis animalium, hominis, vituli, leonis, aquilæ vultibus Christum designari: *Totum, inquit, simul nobis est Christus.* Quia et nascendo homo, et moriendo vitulus, et resurgendo leo, et ad cœlos ascendendo aquila factus est. Testem S. Maximum, qui hom. II. de pentecoste ait: *Sicut aquila humilia deserti, alta petit, cœlo-*

rum vicina conscendit: ita et Salvator humilia inferni deseruit, paradisi altiora petiit, cœlorum fastigia penetravit, etc. Vidimus alibi qua ratione Christus in passione vitulus, in resurrectione fuerit leo; videamus, quomodo in ascensione sit aquila.

I. Ob volatum præcellentissimum. Nam ut aquila super omnes aves altissime volat, ita ut oculi cœterorum animantium, vix assequi eam possint; unde et avium regina dicitur: sic Christus super omnem creaturam ascendit ad altissimam cœli sedem. Unde Ps. XVII. dicitur: *Qui ascendit super Cherubim, et volavit super pennas ventorum*, id est, angelorum: et Ps. LXVII. *Qui ascendit super cœlum cœli ad orientem*: et ad Ephes. IV. *Ascendit super omnes cœlos*. Adhuc melius altissimum hunc Christi volatum descripsit Marcus, cum ait in hodierno evangelio: *Assumptus est in cœlum et sedet a dextris Dei*. Ad ipsam ergo Dei altissimi dexteram ascendit. Quis assequatur vel oculis altissimum hunc volatum? Cum rem magnam, sed intellectu difficilem, volumus describere, proverbio dicimus: *Aquila in nubibus*, quia scilicet avis quidem magna est, sed visu perdifficilis ob sui altitudinem. Talis omnino est Christus in sua ascensione, quæ etiam ipsi Salomoni difficile intellectu fuit: Prov. XXX. *Tria sunt mihi difficilia*, inquit, *et quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cœlo, viam colubri super terram, viam navis in medio mari, et viam viri in adolescentia*, ut aliqui legunt. Via aquilæ est Christi ascensio, via colubri super terram est ejusdem resurrectio, via navis in mari est ejus conversatio super terram, via viri in adolescentia, est ejus conceptio in utero Virginis, ut exponit S. Ambr. in l. II. de Salomone, c. II. Itaque ipsemet Salomon testatur se non intelligere Christi ascensionem, et præterea admiratur Ecclesia cum in litania vocat eam *admirabilem*. Mirabilis enim est primo, quoad ipsam itineris magnitudinem. Si enim, ut vult Alpharabius Arabs, a terra ad firmamentum vix octo millibus annorum pervenire ambulando possemus: et si juxta astrologos (apud Corn. a Lapide, in Gen. c. 1.) totus mundus intra concavum firmamenti, contentus multo minor est respectu cœli empyrei, quam sit globus terræ respectu firmamenti, quis non admiretur altissimum Christi volatum? Ad hæc velocissime eo pervenit; ubi enim ab oculis suorum videri non poterat amplius, ibi in momento ascendit, dote agilitatis.

Secundo, quoad terminum, qui est dextera Patris, ut ait Marcus. Videtur ergo Marcus non nihil contemplatus esse hanc aquilam in nubibus constitutam, et voluisse dicere: Pervenit volando ad ineffabilem quietem et summam regiam potestatem (quæ designantur per sessionem) et de-

nique ad ipsam Dei æqualitatem et consortium regni Dei Patris super omnes creaturas (quod designatur per sessionem a dextris.)

Tertio, quoad modum; ut enim sola aquila certo ad cœlum tramite ascendit, reliquæ aves obliquo: ita Christus Dominus mirabili et potentissimo modo ascendit, non scalis adjutus, non sublevatus funibus, non evector curru ut Elias, non incedens pedibus, sed *gradiens in multitudine fortitudinis suæ*, quod admirantur angeli, Isa. LXIII. Ad hæc corpore suo cœlos non divisit, sed penetravit: pedem ascendendo aut brachium non movit, sed recto ascendit corporis statu.

II. Ob amorem erga pullos suos. Nam aquila ante pullos suos adhuc in nido hærentes volat, ad volandum eos provocans: ut testatur Moyses, Deut. XXXII. qui ait Deum simili modo evocasse Israellem de Ægypto in terram promissionis: *Sicut aquila provocans, inquit, ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas et assumpsit eum*, etc. quia scilicet per varia signa in Ægypto edita eum evocavit et ad prosequendum iter incitavit, præiens per angelum suum in columna nubis. Ad eundem modum Christus in ascensione sua videntibus discipulis suis evolans ad cœlum, provocavit eos ad similem volatum sui que sequelam, per cordis desideria videlicet, ita ut semper esse cum Christo desiderarent et cordibus in cœlo fixi essent, ac demum, quando eos per mortem corporalem advocaturus esset, læto et hilari animo ad ipsum properarent. Cur enim putamus Dominum discipulos suos eduxisse in montem Oliveti, quando inde ascendit ad cœlos, nisi ut illi videntes magistrum suum ascendere, sequerentur ardentibus desideriis? Hoc autem quod illos agere voluit, vult nos omnes agere: ut nimirum de hac Ægypto laboriosa educi cupientes, semper ad cœlum suspiremus et contendamus passibus desideriorum: ac quando tempus est reipsa abundi, læto et prompto animo ad iter nos accingamus. Si enim Christo testante et experientia comprobante: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum*, et si Christus thesaurus noster est (uti revera Christianorum est et esse debet unicuique) ubi cor nostrum erit nisi in illo? Ea quæ sunt igneæ naturæ sursum tendunt, ut fumus, etc. quæ sunt terræ, deorsum: sic quia nos Christiani sumus, ad Christum tota mente ferri debemus, et ad veram nostram patriam. Moyses declaraturus differentiam terræ promissæ ab Ægypto, dicebat Israelitis: *Terra ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi, ubi jacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ; sed montuosa est et campestris de cœlo expectans pluvias, quam Dominus Deus tuus semper invisit et oculi illius in*

ea sunt, a principio anni usque ad finem ejus, Deut. XI. In Ægypto debebant incolæ magno labore deducere aquas e Nilo per fossas et sulcos in agros: non ita in terra Chanaan, ubi Deus stans temporibus dabat pluvias et serenitatem, quantum conducebat frugibus. Eadem differentia est cœli ab hoc mundo. Mundani hic perpetuo occupantur vertendo et excavando terram, ad lucrandum panem, acquirendas opes, etc. ut ita quisque ducat aquas in agrum et domum suam: sed non ita beati in cœlo, qui sine omni labore et sollicitudine omnem habent consolationem et abundantiam. Unde merito irascitur Jeremias mundi amatori, cap. II. dicens: *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti ut bibas aquam turbidam?* Id vero Christiano multo æquiori jure dicitur. Quid enim sibi vult illa vox *et nunc*? Id nimirum *nunc*, postquam scimus thesaurum nostrum in cœlo esse quid tibi in hoc mundo? Sane David cœli civem se ostendit cum dixit, Ps. LXXII. *Quid mihi est in cœlo? Et a te quid volui super terram?* Nonne, o rex, habes hic regales delicias et divitias? Sed turbidam fastidiebat aquam, ad cœlum suspirabat.

III. Ob sollicitudinem erga pullos. Aquila enim licet a nido et pullis suis longius recedat, oculos tamen a nido non avertit, sed subinde semper advertit et vigilat, ne quis prædo accipiter in nidum involet, et si quem animadvertit, illico advolat instar fulminis et prædonem capit, necat et pullis devorandum dat. Id ipsum facit Ecclesiæ suæ Christus; propterea enim Matth. XXVIII. hinc discedens dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Expertus hoc est Paulus cum adhuc Saulus esset et Ecclesiam Christi Damasci congregatam deprædari vellet, truculentus nimirum accipiter, *spirans minarum et cædis*. Quid enim? An forte celestis aquila accipitrem hunc non vidit de mediis cœli nubibus? Imo vero incredibili celeritate adfuit eumque summa vi prostravit, trucidavit, in nidum suum transtulit, atque eo velut esca pullos suos aluit per ejus prædicationem. Quod idem fecit Cypriano prius mago et Christianorum hosti; similiter Augustino et aliis. Fecit et persecutoribus Ecclesiæ, Juliano, Valenti, etc. Ario, Calvino, Luthero et hæresiarchis aliis, tametsi eventu alio, prospero Ecclesiæ, ipsis vero sinistro. Neque hanc sollicitudinem erga universalem tantum gerit Ecclesiam, sed etiam erga unumquemque nostrum: Ut enim aquila ex alto contemplatur pisces maris e fundo emergentes et improvise delapsa rapit inadvertentes: ita Christus in cœlo considerat omnes nos, sed præsertim pauperum oppressores et elatos. Dicunt quidem impii, qui velut pisces devorant imbecilliores, illud Job XXII. *Nubes latibulum ejus (Dei) nec nostra consi-*

derat, et circa cardines cœli perambulat. Sed valde decipiuntur, uti idem testatur, c. XXXIX. de cœlesti nostra aquila dicens: *Inde contemplatur escam, et de longe oculi ejus prospiciunt*. Experti inter plurimos sunt hoc persecutores et occisores S. Thomæ Cantuariensis, S. Stanislai, S. Wenceslai, etc. cum vicissim sanctorum illorum ossa Dominus custodiat usque in hodiernum diem: et speciatim membra S. Stanislai dissecta et feris projecta custodierit per aquilas, S. Vincentii per corvum, etc. Unde merito sibi quisque timere debet, quicumque male agit, præsertim qui Christi membrum aliquod offendit, quia injurias suorum Christus suas reputat; unde illud: *Sauile, Sauile, quid me persequeris?*

IV. Ob singularem providentiam erga nidum suum. Teste enim Plinio, l. X. cap. III. et aliis, aquila firmat et munit nidum suum lapide ætite contra venena, qui quasi prægnans alium intra se continet, nec quidquam igne deperdit. De qua re etiam Hieronymus, in Isa. LXV. ait: « Inter cæteras animantes omnes aquilarum quidem maximus in pullos est amor, quæ in excelsis et inaccessis locis nidos collocant, ne coluber fœtus violet. Amethystum (sic enim vocat Hieronymus) quoque inter pullos ejus lapidem reperiri scribunt, quo omnia venena superentur, etc. » Recte nidum Christi, interpretatur Ecclesiam: « Quemadmodum enim aquila, inquit S. Ambrosius, l. II. de Salom. cap. II. colona quasi mater nidi semper unius est, nec ad procreandam sobolem aliud quandoque cubile perquirat: ita Christus Dominus unam diligit Ecclesiam ut aquila nidum suum, quam æstu persecutionis, alarum suarum defendit umbraculo. » Sic Ambr. Hanc ergo firmavit Christus in sede apostolica velut petra prægnante et continente intra se aliam, id est, alium et alium Petri successorem: ita ut contra eam prævalere nequeant omnes portæ inferi et colubri hæreseon. De quo lapide prophetavit Zacharias, c. XII. dicens: *Et erit in die illa, ponam Jerusalem lapidem oneris cunctis populis: omnes qui levabunt eam, concisione lacerabuntur*. In quem locum Hieronymus ait: « Sensus iste est, ponam Jerusalem cunctis gentibus quasi gravissimum lapidem sublevandum, levabunt quidem eam et pro virium varietate vastabunt; sed necesse est ut dum levatur, in ipso nixu et levatione ponderis gravissimus lapis scissuram aliquam in levantium corporibus derelinquat. Super Ecclesia vero sic interpretari potest, quod cuncti persecutores, qui contra domum Domini dimicant, inebriantur eo calice, quem universis gentibus propinat Jeremias, ut bibant et inebriantur et cadant et vomant, et insaniant. » Hoc Hieronymus.

V. Ob singularem justitiam et generosam in-

dolem erga pullos suos. Nam teste Plinio, l. X. c. III. Aristotele, l. IX. cap. XXXIV. Aliano, l. II. cap. XXVI. et aliis, ad solem examinat pullos suos: qui si non rectis oculis, sed nictantibus (ut vult Alianus) vel lacrymantibus (ut voluit Aristoteles et Plinius) solem aspiciant, degeneres censentur et a parente abjiciuntur. Sic quoque Christus: *Extra Ecclesiam projicit*, ait Ambr. l. II. de Salom. c. II. in quibus fidei lumen infirmum est, qui igneam evangeliorum lucem vitiiis secularibus inquinati ferre non possunt. Vel ut S. Chrysostomus explicat, super c. XXIV. Matth. hom. XLIX. dicens: *Sic et filii Dei ad Christi justitiam pleno corde suscipiendam comprobantur*. Non itaque satis est, esse in nido Christi ejusque pullum, seu Christianum; generosos vult habere pullos sui que similes Christus, qui ipsum rectis intueantur et sicis oculis, hoc est, qui et doctrinam ac præcepta ejus audiant et servant: non degeneres et molles. Tales enim abjicit vel hic de Ecclesia sua, permittendo ut labantur in hæresin: vel ibi saltem condemnando in judicio. Contigit hoc illi, qui in nuptiis constitutus veste nuptiali caruit: qui utique non designat hæreticum, sed malum catholicum, qui non vivit juxta fidei præscripta. Continget hoc et illis qui splendorem verbi divini oderunt ac fugiunt lucem: *Ne arguantur opera illorum*, (Joan. III.) Quod enim dictum est Sauli: *Pro eo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus*, 1. Reg. XV. hoc et illis dicitur.

VI. Ob singularem liberalitatem erga aves alias, quæ prædæ participandæ causa ipsam sequuntur. Sic enim Christus in ascensione sua non solus comedit prædæ suam, beatitudinem videlicet: sed divisit eam cum comitantibus se patribus, assumendo eosdem secum ad cælestem gloriam: juxta id Apostoli ad Eph. IV. *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*. Dedit etiam dona hominibus terra constitutis, mittendo Spiritum sanctum, deinde præparando eis locum in cælo; siquidem omnium electorum nomine cæli possessionem cepit. Unde pro eo quod apostolus ait: *Dedit dona hominibus*, David, Psal. LXVII. habet: *Accepisti dona in hominibus, q. d. loca hominum*. Unde S. Leo, ser. de ascens. Domini ait: «Hodie non solum paradisi possessores firmati sumus, sed etiam cælorum in Christo superna penetravimus; ampliora adepti per ineffabilem Christi gratiam, quam per diaboli amiseramus invidiam. Nam quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate dejecit, eos sibi concorporatos Dei Filius ad dextram Patris collocavit.» Sic Leo.

Quinetiam in temporalibus defectibus liberalem se nobis præbebit, si faciamus quod a nobis

requirit et quæramus primum regnum cælorum. Refert. ven. Beda de S. Guthberto episcopo Lindisfarnensi, in ejus, vita cap. XII. quod cum aliquando magnum iter faceret nee haberet diversorium, ubi reficeretur eibus una cum suo comite, jusserit hono esse animo comitem, sursumque prospectans dixerit: *Vides aquilam illam in altum volantem! Illa nobis hospitis præbebit officium*. Mox in fluvium descendens aquila captum piscem permisit Guthberto et comiti ejus in cibum. Nobis etiam Christus adjiceret temporalia, si primum quæreremus spiritualia, juxta promissionem suam. Quoties ergo quis in aliqua afflictione est, consoletur se illis verbis: *Vides aquilam illam in alta constitutam et nos inde contemplantem? Illa te pascet*. Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet.

CONCIO II.

TRIUMPHUS ASCENDENTIS CHRISTI.

I. Dilaudavit ss. patres e limbo eductos. — II. Exceptus a nube splendida. — III. Ascendit cum jubilo. — IV. Cælestibus cum deliciis. — V. Duxit captivos secum. — VI. Currui præferebantur coronæ aureæ. — VII. Cum purpura, diademate, et annulis. — VIII. Coram pluribus spectatoribus. — IX. Porta jubilæi aperta. — X. Ascendit ad cæli curiam. — XI. Commendavit Ecclesiam Patri. — XII. Epulum suis dedit. — XIII. Dimisit Spiritum sanctum.

THEMA.

Assumptus est in cælum et sedet a dextris Dei, Marc. ult.

Mos erat apud Romanos, ut qui insignem aliquam victoriam de hoste reportasset, et non minus quam quinque millia hostium una acie cecidisset, ex decreto senatus Romani triumphum postea ageret, et ingenti cum pompa ac gloria Romam ingrederetur in remunerationem victoriæ obtentæ. Quæ solemnitas tanta erat, ut inter alia optarit S. Augustinus videre Romam triumphantem. Nemo unquam in orbe victor fuit aut erit, qui victori Christo comparari queat; siquidem is non unum sed quinque insuperabiles exercitus gloriosissima morte sua superavit, mundi, dæmonis, mortis, peccati, inferni. Decuit igitur multo, maxime ut eidem a cælesti senatu SS. Trinitatis triumphus decerneretur: qui hodierna die in cælestem Romam institutus fuit. Et hic quidem cum Augustino optandum esset, ut qualis ille fuerit, saltem capere possemus. Sed videntur ipsimet evangelistæ hoc capere non potuisse, qui rem tam gloriosam tam pauculis verbis insinuarunt: *Et Dominus quidem Jesus, inquit Marcus, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum et sedet a dextris Dei, quasi his verbis*

nobis reliquerit considerandum, qualis pompa illa fuerit; siquidem nihil tam magnificentum excogitari queat, quod non longe superetur ab illo Christi triumpho. Contemlemur igitur cum intellectu, quantum assequi possumus.

Triumpho Romani pompa et apparatus describitur a Zarora, l. II. aliisque apud auctor. antiquit. Rom. l. X. c. XXIX. ut sequitur, et alibi etiam diximus.

I. Triumphaturus convocabat milites suos et postquam eos dilaudasset, coronis et muneribus pro cuiusque merito donavit: alios aurea, alios argentea, alios querna, etc. Si quis murum primus conscendisset, muri: si quis castellum expugnasset, castelli forma coronam gerebat: si navali prælio quid effecisset, rostris ornatam. Ita etiam Christus convocavit patres e limbo eductos, in cælum ascensurus: et quis dubitat, eos prius a Christo commendatos fuisse et laudatos? Si enim certantibus adhuc discipulis dixit: *Vos estis, qui permansistis mecum in tribulationibus. Et ego dispono vobis regnum, etc.* quanto magis id fecisse credendum est, patribus illis jam victoribus? Ibi commendatus a Christo de penitentia Adam, de pietate Abel, de justitia Noe, de obedientia Abraham, de innocentia Isaac, de fortitudine Jacob, de castitate Joseph, de mansuetudine Moyses et David, de patientia Job, de amore proximi latro bonus, etc. Ad hæc singulis suas assignabat coronas.

II. Ascendit currum triumphalem splendidissimum, cui aliquando cervi, aliquando leones, aliquando equi albi jungebantur; et vehebatur per portam triumphalem. Sic Christum ascendentem exceptit nubes, utique splendidissima, lucida et obumbrans, qualis in transfiguratione fuit. Unde Ps. CIII. dicitur: *Qui ponis nubem, ascensum tuum, qui ambulat super pennas ventorum*. Ne tamen quis cogitaret eum hac nube velut curru indiguisset, prius aliquantum spatii absque nube ferebatur in cælum, et postea primum exceptit eum nubes, altius evectum; propria enim virtute, partim ob divinitatem, partim ob gloriosi corporis agilitatem ascendit; non aliena, quo modo Elias curru igneo raptus. O curru mirabilem! Quis enim aliquando nube velut curru usus est? Jumenta vero currum hunc non tam vehentia, quam ornantia fuere innumerabiles angeli, juxta Ps. LXVII. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia latantium in eis*. Ubi Chald. habet: *Currus Dei ignis ardentis, duo millia angelorum ducunt illum, divinitas Dei quiescit super illum*. Hem mirabiles vectores! Numquid non cervis celeriores? Leonibus fortiores? Mannis nitidiores? Ducebant autem hunc curru, non necessitatis sed venerationis causa, quo modo ducitur a paranymphe spon-

sa; ambiebant enim angeli hunc honorem ut curru illi manum admovere possent. Quis vero describat arcum illum cæli triumphalem, per quem ingressus Dominus? Si enim extrema pars firmamenti, qua terram intuetur, tam pulchra est et amabilis, qualis erit ingressus cæli empyrei!

III. Præcedebant tubicines, canentes modos musicos, vel classicum. Hoc etiam factum ab angelis ascendente Domino, quis ausit dubitare? Certe Psal. XLVI. ait David: *Ascendit Deus in jubilo et Dominus in voce tubæ*. Et hinc merito pulsantur tympana, inflantur tubæ, et resonant organa, dum peragitur cæremonia ascensionis Domini. Si enim in nativitate ejus: *Facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum*, ut habetur Luc. II. quando pastoribus nuntiabatur Christi nativitas: quanto magis factam oportuit in ascensione Domini, ubi ejus triumphalis ingressus nuntiabatur cælo? Quod si fortasse hi chori non sunt auditi ab apostolis, id factum ut ipsi non distraherentur ab aspectu et contemplatione mysterii ascensionis Domini, uti existimat card. Bellar. eo Ps. Et quis cogitare queat musicæ illius magnificentiam et suavitatem? Quis dubitet cælestes spiritus omnem suam industriam hic exeruisse, et velut apes suavissima harmonia regem suum circumsonuisse? Fortasse canebant illum Psalm. *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis*: fortasse canebant illum: *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum? Corpus scilicet et animam Christi: quorum illud prius in tribulatione, hæc vero in deliciis fuerat, nunc vero in unum habitare et ambo in deliciis esse incipiunt.*

IV. Ducebantur boves in sacrificio mactandi, vittis sertisque redimiti, inauratis cornibus. Non desunt etiam in Christi triumpho tauri. Sic enim Matth. XXII. cum invitavit vocatos ad cælestes nuptias, dicit: *Tauri mei et altitia mea occisa sunt*. Quid vero hi tauri nisi cælestes deliciæ per omnem æternitatem percipiendæ, quæ Christum ascendentem et sanctos illius partim comitabantur, partim in cælo jam paratæ expectabant? Si adeo lætatus est Israeliticus populus audito nuntio Danielis, Aggæi et Zachariæ, quod reverti mox deberet e captivitate Babilonica in Jerusalem suam, ut diceret: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*; quanto major esse debuit lætitia sanctorum, cum jam se evehi cum Christo viderent in cælum? Quas enim non delicias expectabant in vera et cælesti patria sua?

V. Gestabantur manubiæ et spolia hostibus detracta, tituli item devictarum gentium et imagines captarum urbium, quibus mixta interdum